

**Dissertatio medica inauguralis, de rachitide ... / [Samuel Moore].**

**Contributors**

Moore, Samuel.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1778.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jdsvzcg9>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

6

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
R A C H I T I D E.

Q U A M,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,  
**D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.**

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON  
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,  
**PRO GRADU DOCTORATUS,**  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;  
Eruditorum examini subjicit

S A M U E L M O O R E,  
H I B E R N U S.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:  
Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

---

M,DCC,LXXVIII.



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

DISSEMINATIO MEDICA

INAUGURALIS,

RACHITIDE.

**A**N hicce morbus novus est, antiquis minime cognitus, necne, per centum jam annos magnas contentiones movit.

Glissonius, ante medium seculi decimi septimi, hunc morbum primus accurate depinxit. Nomen ejus, scilicet, Rachitis, (Angl. Rickets,) acceptum est ante Glissonium, qui, post diligentissimas ipsius aliorumque investigationes, affirmat primum fuisse ortum triginta circiter annos antequam scripsisset. Memorat etiam ipsam Angliae partem qua primum innotuit, occidentali, scil. in comitatibus Dorsettensi et Somersettensi.

Antiqui quidem curva ossa recensent, quae symptoma fortuitum esset, nec malum infantibus proprium, fortasse quia in regionibus ubi vixerunt antiqui medici, nempe Graecia, Italia, et Arabia, multo minus, quam frigidioribus, frequens erat. Praeterea, in scriptis antiquorum mentio saepe fit de variis variarum corporis humani partium distortionibus, quae nullam alias causam agnoscere possent; hinc variae appellations vulgo in usu fuerunt, scil. *capitones, frontones, tuberones, gibbositi, valgi, vari, compernes,* quae morbum inter eos haud esse ignotum, ultra dubium confirmant.

Non est verisimile morbum minime contagiosum subito longe lateque vulgari posse, si in angusto Angliae loco ortum habuit; et si causae e loco validiores erant, quare nunc in Batavia multo frequentior est? Videtur ergo verisimiliter easdem causas, eundemque item morbum, antiquis haud esse ignota. In incertis res facta dum nobis certissimus est; et si autem praesens quibusdam adhuc dubia videatur, saltem est hodie minimi momenti.

CHAP.

A. †

## CHARACTER.

“ Caput magnum anterius maxime tumens ;  
genicula tumida ; costae depresso-elevatae ; abdomen tu-  
midum ; caetera marcescentia ;” *Cullen Syn.*  
*Nos. Meth.*

## HISTORIA.

Hic morbus vix unquam congenitus est, et si  
per pauca hujus exempla narrantur. Infantibus  
est proprius, raro ante tertium aut quartum aeta-  
tis mensem sese manifestans, tertiumque in an-  
num perseverat, rarius ad quintum vel sextum,  
rarissime ad decimum vel duodecimum, et fere  
unquam postea comitatur. Ut plurimum vero  
nono aetatis mense secundum ad annum domi-  
natur, si per hoc tempus infantes evadunt, po-  
stea raro adoritur.

In primo statim morbi adventu magna accedit  
notus vel exercitationis aversatio, et quum in-  
fantes,

fantes, qui antea ambulare valebant, et in ea gaudebant, subito pigri fiunt, nec pedes ad terram admovere volunt, inter certiora signa est rachitidem appropinquare.

Quae antea grata erant nunc ingrata fiunt; infans languescit et inquietus fit, cibum fastidit, digestio prava est, crudamque materiem aut aëra saepe ructatur. Nunc pallefecit, caro ubique macrescit, nisi in facie, quae adhuc plena et quasi carnosa manet; musculi flaccidi fiunt, robur labefactatur, abdomen crassum, tensum, tumidumque fit, et quandoque anasarca comitatur.

Post haec ossa afficiuntur, caput et praesertim sinciput solito majus fit, et aliquando talem in molem augetur, ut infans sustentare haud valet. Suturae cranii longum in tempus apertae manent, nec ossa inter se cohaerent.

Spina curva breviorque fit; hinc collum quoque breve, humerisque quasi immersum; vox citata et stridula. Quandoque non collum solummodo, sed tota spina antice incurva fit, corpusque antrorsum labitur; infans enim propter imbecillitatem corpus erectum servare non valet; alias autem spinam aliter curvari invenimus, a causa fortuita, et in hoc casu curvatura vix unquam simplex, sed duplex aut triplex, formatur.

Cla-

Clavicula naturalem curvationem adauctam habet. Scapula apud acromion trahitur antrorsum, et, medium prope partem protrusa, quasi rotunda videtur.

Sternum admodum prominens et acutum est; costae saepe compressae, unde latera plana videntur. Costae tument, et praecipue ad extremas partes ubi cum sterno connectuntur nodosae sunt; hinc forma thoracis multum mutatur, et angusta fit, quo contingente tussis assidua et asthmatum per totum morbi cursum comitantur, a quibus aegrotus aliquando suffocatur.

Ossa etiam extremerum partium prope juncturas crassiora fiunt, et curvantur. Humerus introrsum et antrorsum flectitur, radius et ulna introrsum; ossa carpi, metacarpi, digitorumque timent.

Pelvis quoque saepe distorquetur; ossa ilia planiora fiunt; acetabulum a femore compri- mente pellitur introrsum, pelvis angusta fit; hinc mulieres, quae rachitide laborarunt, difficulti puerperio sunt obnoxiores. Ossa vero artuum inferiorum quae corpus sustentant multum mutantur.

Caput ossis femoris inclinatum cum corpore ejusdem rectum fere angulum format, colloque

## DE RACHITIDE.

cedente, aliquando ad duas usque trochanteras descendit.

Os femoris antrorsum flectitur, parumque extrorsum, genua introrsum, pedes ab alterutro nimium distant, et extrorsum disjiciuntur; crura antrorsum et introrsum flectuntur; tibiae convexae sunt, aliquando mirum in modum. Peculiari modo ambulare solent; nunc enim ad dextram, et alternatim ad sinistram, anatum instar, vacillant.

In rachiticis dentitio admodum tarda et abnormis est, et, cum dentes sese manifestarunt, cito cariosi fiunt et dilabuntur.

In rachiticis autem insigne est acumen ingenii praematurum, judiciumque aetate majus.

Cutis in hoc morbo saepe aquam suffusam habet; tumore vero decadente, laxa five flaccida et rugosa fit.

Pulsus plerumque naturali tardior, nisi sub finem, cum febris hectica jam accesserit.

Urina fere pallida et parca; alvus ut plurimum adstricta; quandoque autem, et praecipue sub finem, diarrhoea supervenit, cibique indigesti redduntur. Etsi saepe cibi fastidium et vomitio adest, haud raro tamen praeter naturam voracitas est, a vermibus aliquando ortum habens; accidit

etiam

etiam quum nulli inventi sunt, talique re circumstante, cibus semper crudus excernitur.

Sub finem febris hectica, hydrops, convulsiones, et quandoque coma superveniunt, et fere inter postrema signa numerantur, quum morbus morte terminetur.

Quandoque symptomata minus vehementer urgent, aegerque a viribus naturae aut artis morbum vincit, roboreque restaurato, deformitas corporisque vitium gradatim evanescunt. Alias autem aegroti ab hocce effectu vel sequelis ejusdem multos per annos vexantur, tandemque miseri fato succumbunt.

In dissectis cadaveribus tubus alimentarius ut plurimum cruda materie vermisque repletus, aut flatu distensus, invenitur. Hepar lienque multum aducta; glandulae mesenterii infarctae; glandulae lymphaticae, praesertim super pulmones, simili modo, ut etiam thymus et glandula thyroides.

Venae fere omnes ampliores esse videntur, praesertim jugulares; etiam arteriae carotides. Aqua in abdomen, thorace, et capite saepe accumulata est; tela cellulosa quoque aqua quandoque distensa est. Musculi laxi, pallidi, flaccidi. Offa nimis crassa, mollia, spongiosa, si preman-

tur

tur facile cedentia, rubramque saniem quandoque effundunt.

### C A U S Æ R E M O T Æ.

Has causas ad tria capita referre liceat.

1. Ad eas quae pendent ex habitu parentum.
2. ——quae pendent ex habitu nutricis.
3. ——quibus infans ipse subjici potest.

#### I. De his quae pendent ex habitu parentum.

Rachitis fere invadit liberos eorum, qui, posse vitam luxuriosam et otiosam, habitum corporis laxum et debilitatum habent; qui potus tenui et relaxantes bibere affueti fuerunt. Van Swieten observat, Batavos, qui vitam degunt sedentariam, nimiosque tenues liquores, uti theam, cofeacem, &c. ingurgitare solent, constitutione multum inde fractas habere; foeminas fluor albo, chlorosi, abortumque pati esse obnoxias prolemque earum, et si primum vultu fano, paucos tamen post menses emaciatam, laxam, rachiticamque fieri.

Prolem quoque eorum qui morbis, senio, venere, aut aliter corpora debilitarunt, adoritur

est enim verisimilius, et inter omnes fere convenit, liberos infirmos, huic morbo praedispositos, a talibus, potius quam robustis validisque, generos iri. Hoc Lycurgo legislatori Spartano adeo percognitum fuit, ut omni modo constitutiones uennum utriusque sexus robore conabatur, et, ne sese nimia venere enervarent, novos nuptos divisim habitare, nuptamque nuptum clam admittere, statuit, ut amplexus eorum fervidiores essent.

Vulgo quoque acceptum est, sobolem eorum, qui lue venerea graviter laborant, huic morbo obnoxiorem esse. Quod talium proles infirmiter fuerit, satis probabile est; sed plurimi infantes hoc morbo nascuntur, nec rachitidi magis obnoxii inveniuntur.

Rachitis congenita rarissime conspicitur, et infantes illo tempore penitus sani, postea hoc morbo correpti sunt, etsi nunquam lue venerea affecti, nec ulla ejus signa ad parentes referri possent. Quare haec causa non tantum valere videtur quantum vulgo opinantur.

2. De his causis quae pendent ex habitu nutricis.

Delectus nutricis magni est momenti, quoniam infantem maxime afficere observatur. Si ullis

causarum antedictarum debilitata sit, lactisve sanī idoneam quantitatem non praebeat, infans debitum nutrimentum non potest accipere, et huic morbo a debilitate praedispositus erit. Igitur optima sanitate, mente serena, pollere debet, et exercitatione uti ; si enim animo perturbetur, aut vehementibus animi affectibus obnoxia sit, multumque lac ejus et infantem afficiet.

3. De his causis quibus infans ipse subjici potest.

Hae vel ad morbos, vel casus in regimine fortuitos, ad habitum infantis enervandum tendentes, referendae sunt.

Post omnes morbos acutos, inflammatorios, aut contagiosos invadere solet, uti variolam et rubeolam ; sed Sydenhamus observat, eam post intermittentes autumnales praesertim accidere, quae systema totum, sed peculiariter canalem alimentarium, relaxant, quod a tumefactione abdominis cognoscere licet.

Post morbos quoque chronicos, qui, et si tardis sint, corporis habitum huic morbo obnoxium tandem inducunt. Item post haemorrhagias, diarrhoeam, aut ullam evacuationem quae robur imminuit, aptaeque digestioni obstat, saepe evenit.

Multa

Multa mala quibus obnoxia est aetas infantilis, praesertim dentitio difficilis, ejusque sequelae, convulsiones et debilitas, saepissime rachitidem excitant.

Herpes, tinea capitis, scabies, et omnia ulcera subita suppressa, pro causa hujus morbi habentur. Quandoque materies in tinea capitis per incuriam tam acris fit, ut non tantum tegumenta exulcerat, sed etiam cranium perrodit. Talis acrimonia in sistema absorpta infantem multum debilitabit. Praeterea, cum diu assuetus sit habitus huic evacuationi, absque ea sanitate non potest subsistere; igitur cum subito suppressa sit, varia mala gignuntur, quae eam restaurando curatio acceleratur.

Aliae res infantem afficientes originem ducant a diaeta, aëre, exercitatione, munditiis, &c. Infantes, praesertim pauperum, aquofis, crudis, et minime fermentatis alimentis, saepe pascuntur, quae concoctu difficillima et acescendum prona, tonum ventriculi delere, et exinde sistema multum relaxare, tendunt, morbumque saltem augebunt, quamvis ad excitandum non sufficient.

Aër humidus et impurus, perspirationem impediendo, fibrasque debilitando, multum corpus relaxat; hinc rachiticis abundat Londinum; infantes

fantes etiam pauperum, qui frigidas humidasque casas incolunt, ubi semper humori objiciuntur, vestibusque madentibus utuntur, invadit. Van Swieten momorat, morem infantes servandi sellis perforatis incubantes, per quas excrementa dejicant, ut frequentem hujus mali causam ; morbus saltem ab eo ingravescit, et immunditiae cuiuscunque generis eundem adaugebunt. Fomentationes vel calida lavatio nimis frequenter adhibita corpus flaccidum reddunt, et morbum, si jam exortus sit, augebunt.

Sed ante omnia, exercitationis idoneae defec-tus hunc morbum inducere tendit ; haec enim omnibus musculis vigorem tonumque impertit, circulationem digestionemque promovet, et praeter omnia constitutionem roborat duratque ; a defectu hujus, infantes magnis in oppidis huic morbo magis obnoxii esse observantur.

### CAUSA PROXIMA.

Quum ossa infantum imperfecta sint, quod ad numerum et partes, textura magis tenera, e quodammodo similia molibus partibus, eodem

modo

nodo item affici possunt ; inde aqua nimia inter  
fibras eorum penetrare, easque aequa ac muscu-  
ares fibras distendere, potest ; sed aqua remota  
musculares fibrae tonum recuperant ; osseae non  
ita sese habent, quae semel extensa, ex duritate  
majore positionem suam aliquo modo retinent.

Causae remotae hanc aquam existere probare  
videntur, laxa et spongiosa textura ossium eorum  
rachitide laborantium ita distensa esse ostendere  
videtur. Sed fortasse haec aqua pro effectu ex  
proxima causa ortum ducente, quam ipsa causa,  
potius habenda est ; nam in omnibus aliis parti-  
bus corporis, ex nimia vasorum laxitate, aqua ef-  
fusa est. In ossibus quoque talem laxitatem, et  
exinde aquam, reperimus. Vitia autem in solidis  
vel vasis jam formatis, quae non sinunt ossa reci-  
pere et possidere suam propriam duritiem, praecipua causa esse videtur.

Ossa sicut aliae corporis partes praeditae sunt  
arteriis et venis, eodemque modo augmentur ; sed  
ossa recipiunt majorem copiam terrenae materiei  
quam aliae partes, quae a vasibus suis secernitur,  
interque vacua ossium deponitur ; quomodo  
ita sese habet, est difficile probatu, et si certum  
est.

In formatione epiphysum, vel cartilaginis in os mutatione, haec specialis actio apparet ; dum pellucet nulla mutatio accidit ; sed ex quo tempore vasa rubrum sanguinem continentia in eo apparent, ossificatio quoque incipit. Ex quibus-dam fortuitis hoc potest accidere, nempe, gravi compressione in spinam jumentorum facta, non ducens ortum ex fibris compactis, sed ex speciali introitu, vel actione rubrorum vasorum, et terra deposita, quae tamen premendo facilius in os durum compingi potest.

Inflammatio vel irritatio, sive ex morbo sive casu, periostio eandem conditionem inducit, ut apparet ex formatione callorum ossibus fractis superinductorum ; periostium inflammatur, tumet, terraque statim in parte inflammata deponi videtur.

Haec terrena pars quoque assidue absorbetur, (propter quam causam est difficile dictu), et recens terra secernitur deponiturque ; ossa senum, ut aetas provehitur, leviora fieri observantur, quod hanc absorptionem lucide demonstrat.

Si haec terrena pars abeat, ossa duritiem appetam et necessariam recipere nequeunt. Hicce terrae defectus aut ex absorptione ejus aucta, secretione eadem manente, aut ex secrezione et

epositione minutis, absorptione naturali, ortum  
ucere potest. Ossa etiam adultorum adeo mol-  
a facta fuisse, ut scalpello incidi possent, exem-  
pla manifestarunt ; unde morbus *ossum incarnat*-  
*io* nominatus est, exque scorbuto, diabete, lar-  
aque copia salis marini comesta, oriatur. Num  
aec mollities ossium ex deficiente secrezione vel  
imia absorptione terrae oriatur, difficile est affir-  
matu ; fortasse ex utraque ; sed posterior confir-  
matur, ex eo quod tales aegroti multum urinae  
terreno vel gypseo sedimento commixtae reddide-  
unt.

Sed quaecunque sit vasorum actio, quae ter-  
ram ad os rite formandum et durandum secernit,  
adem in rachitide certo certius deest ; et quan-  
uum modus explicatu difficilis est, tamen evi-  
ens est, causas remotas antedictas, totum syste-  
ma laxando, et praecipue chylificationem impe-  
iendo, ad tale hujus actionis vitium inducendum  
alere.

Sed, re probata, rationes symptomatum nonnul-  
lorum, quae ex mollitie ossium ducunt originem,  
xplicari possunt.

## RATIO SIGNORUM.

“ Artus et extremitates ossium primum tument crassescuntque,” quia in his partibus cancelli numerosiores, et osseae lamellae tenuiores sunt; quapropter, a firmitate harum partium minore, minus causae distendentis resistunt, citiusque prominent. “ Tumefactio non ante tertium aut quartum mensem, saltem in extremis, evenit,” quia hae partes fortasse in ossa non adhuc vertuntur, sed quadantenus cartilaginosae sunt.

“ Distortio et contractio ossium,” a morbo media item ossium affidente accidit; quocirca pondere aliarum partium in ea incumbentium, muscularum actione, aut aliis causis fortuitis, distortquentur.

“ Caput magnum,” quia incremento cerebri ossa cranii cedunt. “ Anterior maxime tumens,” praesertim fortasse ab inclinatione capitinis in statu relaxato spontanea, quod in aequipondio ad ossis occipitis condylos non positum est; si quis enim erecto corpore sedens obdormiscat, caput anterius labitur; igiturque cerebri pondus nonnullum hic effectum habet.

“ Spina

“ Spina quandoque antice incurva fit,” a corporis pondere antrorsum labentis, “ nonnunquam in aliis directionibus, oblique,” &c. a causis fortuitis, thoracibus nempe foeminarum rectis, in idem latus continua inclinatione. “ Curatura vix unquam simplex,” quoniam in illo asu aeger musculis alterius lateris naturaliter aget, ut corporis pondus supra propriam basin, inter crura, aut super os sacrum, cadat.

“ Sternum admodum prominens et acutum est,” quia costae deprimuntur, et ad juncturas cum sterno tument. “ Costae depressoë,” a ponere superiorum extremorum pendet; quoniam, ubi extremorum ossa introrsum flectuntur, ibidem costae cedunt. Aëris externi pondus, onus que corporis decumbentis, nonnihil valeant. “ Hinc thoracis distortio et spirandi difficultas,” quidem pulmones haud satis sese expandere possunt.

“ Clavicula naturalem curvationem adauertam habet,” ab onere humeri ei incumbentis. Ab eadem causa, et corpore antrorsum inclinato, “ Scapula apud acromion trahitur antrorsum, et medianam prope partem protrusa, quasi rotunda videtur,” quod humeri antrorsum flectantur, aegerque prono corpore inclinetur, propendeat.

† C

“ Hu-

“ Humerus introrsum et antrorsum flectitur,” quia in cubitos puer recumbere solet, et hinc curvatura naturalis augetur ; musculi item effectum hic edunt, ut etiam in “ radium et ulnam quae introrsum ab iis trahuntur,” quia flexores musculi fortius agunt.

“ Ossa ilia planiora fiunt,” a viscerum pondere. A corporis incumbente, ossisque femoris reactione, ab ejusdem capite “ acetabulum introrsum pellitur,” ex quo etiam “ pelvis angusta fit.”

Collo femoris corporis ponderi cedente, a directione obliqua sursumque tendente discedit ; “ cum corpore ejusdem rectum fere angulum format, aut aliquando ad duas usque trochanteras descendit.”

A pondere corporis, actione muscularum, et positione inter sedendum, “ ossis femoris curvatura naturalis antrorsum parumque extrorsum augetur.” A colli corporisque ossis femoris curvatione, genua nimium inter se distarent, atqui natura, ad pondus in basin angustam ferendum, ut puer absque magna corporis jactatione ambulet ; namque pedes etiam nimium a se distant, “ genua valde introrsum flectit.” Hinc antrorsum et introrsum ossa cruralia flectuntur, unde  
“ tibiae

“ tibiae convexitas aliquando mirum in modum evenit.”

“ Insigne acumen ingenii praematurum, iudiciumque aetate majus,” quod fere domi permanent, proiectisque aetate confabulantur, et fortasse a mentis irritabilitate cum corporis simili statu congruente.

“ Abdomen tumidum,” quoniam intestina debilitata ad cibum concoquendum haud valent; igitur a contentis et aëre effuso distenduntur.

“ Caetera marcescentia,” a glandulis mesenterii infarctis, organisque concoctionem efficientibus multum debilitatis, unde nutrimentum non rite peragitur. “ Unde glandulae mesenterii et lymphaticae tumidae fiunt,” difficile est dictu. Forsitan in hoc, ut in aliis casibus, a quadam acrimonia in systemate existente originem ducat, quaeque absorpta ad has glandulas obstruendum tendit. In hoc enimvero scrophulam refert; sed quomodo in alterutro casu dignitur, tam arduum est intellectu, ut hic loci nobis praetereundum est.

## PROGNOSIS.

Haec vel a viribus causarum, robore, et aetate aegroti, vel morbi impetu, inferenda est.

1. Si ex habitu parentum fracto originem habeat, curatio magis desperanda est. Si ex erroribus in diaeta, defectu exercitationis, aut aliis hujusmodi causis quas medicare valeamus, meliorum eventum expectare licebit.

2. Si aetatem admodum teneram adoritur, difficilis est curatio; quoniam infans ejus impetui minus obsistere valet, et medicamenta vix accipere queat. Sed contra, si magis aetate proiectus est, prosperiora promittere licet.

3. Quo magis vehemens diuque permanens, et quo major est distortio, eo magis aegri periculo obnoxii sunt; et etiamsi adolescent morbumque effugiant, tamen ex vitalibus aliisque organis impeditis debilitatisque in futurum, morbis pulmonum, abdominalium viscerum, &c. obnoxiores sint.

Si aquae in capite accumulatae signa adsint, infaustus eventus metuendus est.

Quidam,

Quidam, eruptiones cutaneas, uti scabiem, &c.  
hoc morbo bonum signum praebere arbitriati  
nt.

## METHODUS MEDENDI.

Quoniam in hoc morbo aqua, per totum cor-  
is abundans, non tantum partes moliores, sed  
ta etiam, distendit, et quandoque morbidam  
acrimoniam acquirit, (saltem multi ita putarunt);  
anc igitur, quam *colluviem serosam* nominare so-  
bant, removere praecipuum erat inter medicos  
opositum. Hoc autem a variis evacuantium  
neribus efficere conati sunt; unde infantes  
ultum mali patiebantur, morbusque potius au-  
batur. Minime autem secum reputabant, hanc  
uam morbi esse effectum, non vero causam  
proximam, quae a causis remotis ante perspectis  
xitas universa potius videbatur, et, hac etiam  
alata, aqua eodem fere tempore absorbetur. E-  
misi quandam acrimoniam adesse nobis perno-  
nit effet, nobis tamen solummodo restaret, syste-  
mati inducere statum, qui aut acrimoniae gene-  
rationi obviam iret, aut effectus ejusdem superare  
flet.

Igitur

Igitur in rachitide, totum corpus, praecipue-  
que canalem alimentarium, firmare opportet ;  
quum vero concoctio p[re]e omnibus afficitur,  
virtusque medicamentorum ab ea pendent, quae-  
cunque ei nocent, amovere decet.

Hinc consilia medendi tria sunt.

- I. Tubum alimentarium abstergere.
- II. Eundem, totumque corporis sistema, cor-  
roborare.
- III. Modis mechanicis, quo usque aequum  
est, deformitates corporis corrigere.

I. Tubum alimentarium abstergere ; fit,

1. Ab emeticis.
2. Laxantibus.

1. **EMETICA**, stomachum et quandoque inte-  
stina evacuando, fordes, aliqua cruda ibi retenta,  
abluunt, absorptionem aquae effusae promovent,  
motum peristalticum adaugent, cibique natura-  
lem appetentiam afferunt.

Quandocunque signa pravae concoctionis ap-  
parent, per totum morbi cursum emetica indi-  
cantur ; saepius autem repetere haudquaquam  
licebit, ne tonus stomachi et intestinorum indi-  
debilitetur, digestioque potius vitietur. Nec for-  
tiora adhibere aequum est ; quoniam cum teneri  
admodum

Immodum agendum est; igitur *ippecacuana* omnibus anteponenda est; parva enim dosis unius, uorum, triumve granorum rei apte respondet, inumque ipecac. cum facchari crystallini q. s. d gratam dulcedinem, formulam satis elegantem idoneamque praebet.

2. **LAXANTIA** eosdem fere effectus exhibent, praeſertim utilia sunt, quia rachitici saepe plus evorare solent, quam rite concoquere valent.

Eadem, ac in emeticis, in his quoque administrandis cavere oportet, nempe rarius iteranda, uitoraque tantum adhibenda sunt. Omnibus item *rhababarum* antecellit; nam, alvo soluta iſtrigentes effectus exerens, tonum stomachi intestinorum confirmat, concoctionique favet. otu communi commiscere licet, aut sub forma ni rhei cum pauxillo facchari crystallini comodissime dari potest.

II. Tubum alimentarium totumque ſystema corroborare.

|   |  |                    |
|---|--|--------------------|
| A. a Regimine corporis generali quod ad | { 1. Diaetam.<br>2. Aëra.<br>3. Vestimenta.<br>4. Exercitationem, frictionem.<br>5. Lavationem frigidam. | { Cibum.<br>Potum. |
|   |  |                    |
|   |  |                    |
|   |  |                    |
|   |  |                    |

B. a Me-

B. a Medicamentis  
tonicis, { 1. Vegetabilibus.  
2. Fossilibus.  
3. Animalibus.

A. Si malum radices jam altius infixerit, omnesque partes affecerit, eidem a medicamentis solis mederi non expectandum est, sed *regimine*, quod totam corporis constitutionem in firmorem mutare valeat.

1. *Diaeta*.—Pro *cibo*, pane fermentatione per quam subacto et biscocto, uti debent; levis enim et concoctu facilis est, multumque etiam nutrit; non fermentatus autem, ut antea dictum est, alter se habet, morbumque potius adauget. Cum eo grata quaedam aromatica seu aromata conjugere nonnunquam licebit, ut appetitus inciteretur, digestioque acceleretur.

Carnes non pinguiores, succidae tamen, tenebrae, et nutrimenti boni plenae, utilissimae sunt.

Juscula minus idonea sunt; corpus etenim in molle, et aquosum nimis per se, tendit. Jura tamen fortiora et condita, praesertimque concreta vini pauxillo mista, adhibere, perbonum est.

*Potus* minime aquosus, nutriendis vero, pauloque stimulans, esse debet. Hinc cerevisia tenuis, aqua, etiamque lac in acidum nimis pronum, evitanda sunt. Cerevisia autem generosa, multum farinac

rinae continens, cuiusmodi est Brunsvicensis  
(Angl. *mum*) a Van Swieten multum laudata, et  
uae fermentationem aegre subit, commodissime  
ari potest. Cerevisiae generosiores item verna-  
lae idoneae sunt; quoniam vero fermentatio-  
m subierunt, et meraciores sunt, pauca tantum  
uantitate utendum erit. Ante omnes autem,  
athus unus aut alter vini rubri Gallici, aut eti-  
n Portugallici, quotidie adhibitus, concoctionem  
juvat, viresque nervosas recreat. In eo panis  
[coctus molliri potest, idemque dilutum, et  
andoque cinnamomo talibusque gratae condi-  
m, pro potu usitato offerre licet.

Etsi diaeta valentissima utamur, aliae tamen  
s in administratione notandae sunt.

2. *Aér.*— Aér humidus et impurus pro causa  
censitus est. Infans igitur in aëra siccum cel-  
nque transferendus est; si hoc autem fieri ne-  
dit, in altioribus domicilii tabulatis, quae hu-  
ori minus obnoxia sunt, educari aut saltem dor-  
re debet.

Hic fortasse memorandus est mos in quibusdam  
regionibus laudatus, nempe, rachiticos nudos,  
sto capite, solis ardori objicere solent.

3. *Vestimenta.*—Eisdem propter causas, vesti-  
menta, quoisque fieri potest, sicca et nitida sunt,

ut humor omnis sudorique, qui cuti admoti malum inferrent, absorbeantur; hinc lanea sunt potiora. In *culcitis* etiam crinalibus aut paleatis, potius quam plumeis, somnum capere oportet; namque illae planiores et duriores corpori minus cedunt, fibrasque firmiores reddunt.

4. *Exercitatio* insigni modo corpus roborat, concoctionique favet; primis igitur morbi initis, aut si, propter aetatem licet, omnibus blandimentis et incitamentis ad sese exercendum hortandi sunt. Si vero, per aetatem morbive vehementiam, hoc fieri nequit, in rheda ab equo, aut nutrice gestari, funiculis per aëra jactari, aut navigare convenit.

*Frigio* locum exercitationis quodammodo supplet, tonum corroborat, et circulationem promovet. Cum pannis laneis siccisque modice fieri potest, suntque qui odoribus aromaticis haec fumificare volunt.

5. *Lavatio frigida* in hoc morbo valentissimum remedium est. Primo quidem superficiem constringet; mox autem hicce spasmus resolvitur, actio cordis et arteriarum augetur, ruborque cutis jam appareat; et hinc tonus vasorum multum robatur: Affirmatque Floyerus, hunc morbum nunquam in Anglia comparuisse, dum balneo

alneo frigido uti solebant. Propter hujusce uim, nuperos per annos rachitis multo minores rages edidit; et est equidem probabile, hunc morbum nunquam vexaturum, si modo infantes generis ab annis ei assuefacti erint. Oportet igitur quotidie in frigidam mergere, nisi infans ad odum debilis fit, statimque pannis siccis fricare diligenter, unde multum commodi afferetur.

### B. MEDICAMENTA TONICA.

Etsi a victus regimine, aliaque administratione, urimum in hoc morbo expectandum est; tamen ex usu medicaminum apto multum boni orietur, utrisque conjunctis meliora promittere licebit.

#### 1. *Vegetabilia tonica.*

Ex his *amara* et *aromatica* usitatoria fuerunt; et denhamus in hoc morbo vinum aut cerevisiam, qua absinthium aliaque amara infusa sunt, aetotis obtulit. *Cortex Peruvianus* prae omnibus concelebratas; adstringentes enim, amaras, aromaticas virtutes exhibet, stomachum, omnesque partes corroborat, et multum rachiticis odesset, si modo deglutire vellent. In substantia

stantia exhibitus, cum parte aequali extractu glycyrrhizae, aqua soluta, et pauxillo mucil. gum. Arab. vel commistus lacte ebutyrato, cum parva quantitate facchari rubri, invitatis offerre fortasse potius est. Aliter etiam cum clysteribus injicere. Extero corpori admotus, a quibusdam extollitur; adhuc vero non confirmari videtur.

*Aromatica*, ut cinnamomum, macis, &c. grata et utilia sunt, aliisque medicamentis commodissime adjungi possunt.

## 2. *Fossilia tonica.*

Horum praecipua sunt metallica ex *ferro* et *cupro* parata.

*Ferrum* in rachitide, aliisque chronicis morbis a laxitate, usitatissimum et utilissimum remedium se praebet. Limatura aut rubigo in vino cum cinnamomo, aliove grato aromatico, digeri possunt, ut in vino chalybeato; hujusque cyathum unum aut alterum, pro aetate, offerre decet. Tincturae martis etiam aliquot guttas potu miscere licet. Vinum dictamni albi Phar. Edin. nov. remedium quoque non aspernandum se offerat.

*Cuprum* interne sumptum remedium est periculi plenum; mitioribus itaque praeparatis solummodo uti oportet.

*Ens*

*Ens veneris* Boylaei medicamen celeberrimum uit; multis tamen placet idem esse, quod *flores martiales* nominare solent, scil. ex calce ferri, aleque ammoniaco sublimatis. Non nobis est hic loci rem enodare; non est vero probabile, Boylaeum naturam vitrioli caerulei tantum ignasse, ut *ens veneris* vocaret medicamentum a erro paratum. Cum ammoniaco sale conjunctum, ut in cupro ammoniaco Phar. nov. Edin. nitissimum ex hoc metallo paratum habemus, formulamque ejusdem pilula caerulea aut currea supplet. Parva tamen a dosi incipiendum est; in teneris, scil. pilula una, quae grani dimidium praeparati continet, aut fortasse pilulae dividendum in aliis, fatis erit.

In quibusdam Angliae locis, in *aquis alumino-*  
*is* lavare multum commodi attulisse dicitur.

### 3. *Tonica animalia.*

Sub hac indicatione, fortasse memorare licet, singularem huic morbo medendi modum, qui in Septentrionalibus Caledoniae partibus vulgarissimus est, nempe, corpora rachiticorum *leo scatinae* inungunt. Methodus parandi et administrandi, ex literis medici ibi habitantis excerpta, sequitur.

“ Mo-

“ Modus parandi. Hocce oleum ex hepate rajaе seu scatinae communis majoris plerumque paratur; sed scatina minor clavata, quam hic loci *Thornback* dicinus, simile forsitan praebet. Hepar in patina locatum servant, donec major pars ejus in oleum liquefaciat, unde admodum rancida sit; tunc decoquunt, purioreque parte utuntur. Rancidum potius quam recens decoquunt, quia plus olei praebet; minime vero dubium est, quin recens aequali virtute gauderet.

“ Modus administrandi. Caute admodum utendum est initio; namque quantitas admodum parva febrim excitabit, quae, si vehemens, debilis infantem e medio fortasse tolleret.

“ Prima nocte cubiti carpique juncturae eo leviter fricandae sunt, unde febris statim oritur, et per majorem noctis partem affligit; ante lucem vero remittit. Sequente nocte similiter fit, febrisque reiteratur. Omni nocte perseverandum est, donec febris concitari definit, quo tempore non solum carpi cubitique, sed genua talique, inundanda sunt. Hinc febris denuo gignitur, et perseverandum est, ut antea, donec febris concitari nequit. Tunc tota spina costaeque illinendae sunt,

unt, febris renovatur, frictioque item usque ad febris discessum continuanda est. Denique, lanaea subucula oleo immersa puer circumvestiens est; unde vehementior febris orietur, quam duos aut tres usque dies ante remissionem durabit; subucula, donec sicca fiet, non amovenda sit, et tunc temporis malum, si medicabile, proligatur.

“ Haec operatio quatuor, quinque, aut sex hebdomadas durabit, prout infans in primo, secundo, ut tertio morbi stadio versetur, et quo citius incipitur, eo melius erit. Complures vidi hoc nodo curatos, etsi admodum ingratus est, praeretim nutricibus, quibus in eodem lecto cubare recesse est.”

Hinc videtur, morbi medelam a febre concita pendere; minime enim perficitur, nisi febris aepius excitata in aliquod tempus duraverit. Quomodo autem agendi modus explicandus est? Quoniam causae et symptomata rachitidis sistema laxitate et debilitate perquam affici ostendunt, non videtur vero absimile, tonum vasorum aductum, per tempusque non breve continuatum, uic morbo mederi.

Bal-

Balneum frigidum, in hoc morbo tam utile remedium, febriculam perbrevem, aut aquam vasorum actionem, huic quodammodo similem, post se trahere videtur. Haud impari modo fortasse febres fortuito invadentes, morbos paralyticos, ante insanabiles, penitus profligarunt.

Anne in aliis morbis chronicis aut cachecticis similem curandi modum inferre licet?

Si autem oleo incaute inungatur, febris nimium exacerbata vires aegroti jamjam debiles opprimet; in febribus namque adulatorum, actio vasorum supra modum aucta, debilitatem tandem inducit.

Febris ergo moderanda est, ut leviter adaucta vasorum actio continuetur.

Quorsum vero tendit hic tonus adauctus?

Proxima sub causa observare contigit, quandam vasorum conditionem ad ossificationem, sive ad ossa generanda, necessariam esse. Fracto osse, inflammatio periostei, ad os formandum necessaria, circa locum incipit. In rachitide vero, haec vasorum conditio naturalis nunquam incidit; ut in fractis itaque ossibus, talem inflammationis gradum citius ossa perfecta generaturum conjecture licet. Terrenae materiae defectus non tantum ossibus, sed aliis etiam solidis, aut fibris muscularis

losis deesse videtur. Quare haec igitur rite denatur, inflammatio, nisi nimia sit, in causa erit, ade offa, et reliquae corporis partes in statum naturae redibunt.

Haec tamen, quoad agendi modum, mere conaturalia sunt ; rem enim attentius observare et perire, ad accuratam de ea ratiocinationem est ceslarium.

III. Tertium medendi propositum erat, modis mechanicis, quo usque aequum est, deformitates corporis corrigere. In hoc autem faciendo periculum imminet, et corpori machinas fere nunquam aptare decet, ne comprimendo formam in jorem potius mutaretur. Dum spinae curvata formatur, contrariam corporis positionem ungere sat erit, ut celeb. Monrones pater usque nonnullis casibus illustrarunt. Extremis partibus minore cum periculo, et majore fructu, ocreas quae distortionem mutant, gare licet. Attamen mirabile dictu est, quam evi tempore, post habitum confirmatum, haec anima vitia a vi muscularum sola emendantur.

## PROPHYLAXIS.

Methodo medendi jam tractata, de mori  
praecavendo minus dicere opus est. Omnibus  
patet, causas remotas diligenter admodum e-  
vitandas.

De vitiis parentum nil dicendum est; quoniam  
Lycurgi instituta minime ad nostra tempora  
tinent. Primum igitur, nutrix fano et vege-  
corpore eligenda est, cui mammae laete reple-  
funt, ut infans rite nutriatur; neque hoc suffici-  
sed alacris et nitida sit, quae infantis animu-  
oblebet, jactando, ambulando, &c. corpus ei  
exerceat, vestimenta saepe commutet, nec cru-  
unquam offerat, aut fascias arcte liget.

2do, Si aér foedus aut humidus est, in sicc-  
rem migrare convenit, aut vestimenta densie-  
funto.

Inter sextum vero aetatis mensem, usque  
secundum tertiumve annum impletum, eadē  
cura exercenda est.

3tio, Denique, ante omnia corpus per totū  
hoc tempus corroborandum est, exercitatio  
continua, balneoque frigido, in quo si persistat

est ultra dubium fere, rachitidem nunquam invasurum. Si autem, hisce omisssis, morbus aggreditur, a quo tempore prima signa in historia recensita, praecipueque tumores circa articulos sese manifestant, ab usu balnei frigidi sine mora incipiendum, in eoque perstandum, cum aliis in medela narratis, unde omnia prospere eventura pro certo fere affirmari potest.

F I N I S.

